



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Godeleva Mart. 6. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

6. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 427
Christi imperio advocasset, & earum
lacte recreatos hostes animam sibi fecis-
set debere. Ad tribunal Archiepiscopi u-
bi ventum, luce clarius meridianâ appa-
ruit innoctem esse GOAREM, quan-
do pallium suum in ipsius solis radiis sus-
pendit. Adhæc ex puero projectio cum
jussu Archiepiscopi nomen parentis qua-
siisset, ecce facundissimus infans linguâ
digitoque ipsum Archiepiscopum pro-
didit. Erat hoc scilicet absolvere reum &
Iudicem damnare. Quare populus ad
infulam GOAREM velle vocare, & cum
respueret, vim amicam inferre. Sed ab
hac iterum illum ægritudo absolvit,
quam precibus à cælo extorsit. Prestare
credidit morbo quàm ambitione labora-
re. *Ex Surio.*

*Procul contentiones, procul lites, procul
maledicta mittantur, & quia laqueus est
mortis lingua susurronis & bilinguis,
parcat unusquisque animæ suæ, ne in sup-
plicium suum vincula sibi mortis innectat.
Ama pacem & tranquilla sunt omnia.
S. Pet. Chrysol. serm. 53.*

3. GODELEVA MART. 6. Iulii.

Quoties fallit Amor, positâque lar-
vâ tyrannum se ostentat? Ecce hic
etiam dies exemplum oculis exhibet.
Adverte animum quisquis blanditiis e-
jus credis neque fallacias caves. De
peri-

428 VITÆ SANCTORUM. 6. Julii.
peribat GODELEVAM nobilem virginem nobilis item juvenis Bertulphus. Verum cum primùm ex voluntate parentum domum Sponsam deduxit, amor illi omnis in odium degeneravit, & primã jam nocte aspectum non sustinuit ejus ferre, cujus absentiam mortem nuper crediderat. Quare val enecare, vel certè à sese abigere aggressus, non nisi unicum panem quot diebus dedit. At illa patientiã ad omnes injurias obarmata, cum multa animi grati significatione accepit, & hunc ipsum cum pauperibus sibi communem esse voluit tam diu, dum fugam ad parentes nudis pedibus coacta fuit arripere. Caterùm cum sacri homines sese interposuisset, iterum domum GODELEVAM duxit Bertulphus, sed efferendam. Si quidem binis servulis ad omne scelus exercitatis, ut laqueo, dum ille domo abit, suffocarent innocentem, imperavit. Virtuti calum pluribus portentis parentavit. Nam panes, qui sub funebrem diem in miseros erant spargendi, in furno numerum suum longè superaverunt. Aqua, in quam abjectum funus erat à parricidis, medicinam morbidis propinavit. Ipsa humus in loco supplicii egesta in lucidissimas gemmas abiit, ne ampliùs quisquam dubitaret pretiosam in conspectu Domini mortem sanctorum esse. *Ex Suario.*

Libidinis vitium expelles, si orationi assidua

7. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 429
duæ incumbes & sobrietati ; si mentem à
malis cogitationibus cohibebis ; si nullum
proferes vanum verbum si ad templum ac-
cedes frequenter ; si mortem & diem Iu-
dicii identidem recogitabis. S. Ephrem de
vit. Spirit.

S. WILLIBALDUS EP. 7. Iulii.

A Nimæ caelo natæ eheu ! exilium ama-
mus , patriæ obliviscimur. At non
ita W I L L I B A L D U S è regiâ Anglorum
stirpe pulcherrimus flosculus. Vix enim
mundum seque adeò circumspexit , cùm
ilicò peregrinum agnovit , ideoque exire
hinc quàm ocyûs , nec solus voluit , sed
in laudatissimi facinoris societatem Cu-
nebaldum Fr. & Walpurgam sororem ,
quin Richardum etiam regem parentem
excivit. Si nescis , Pater , peregrini hîc
etiam reges sumus. Quin igitur is quò
SS. virorum per omnem orbem vestigia ,
atque adeò Christi te ducunt. Exi , ab ! exi
regno ! nisi exis , scilicet efferere. Ergo
purpura penulæ , sceptrum baculo , co-
rona galero cedit ; atque ita digna Re-
gibus Anglis expeditio Romam , inde
Hierosolymam adornatur. Ultimam
ut hanc etiam suæ peregrinationem cru-
ces comitarentur , in illo itinere patrem ,
in hoc oculos amittit. Recepit tamen
hos ad urbem sanctam appulsus , vidit-
que deinceps tam bene , ut exæcatis
tuna